

fecit cœlum, & terram. Ad finē huius Psalmi diligenter annotandum est, non facere differentiam inter filios Dei, & filios alienos copiam, vel inopiam rerum temporaliū: multi enim filii Dei his bonis abūdant, & Dominus Matth. 19. promisit cētuplum eorum, quæ dimittimus, in hoc mūdo, & postea vitam æternam: & cōtra multi filii huius seculi miscrē perierunt in egestate, in exilio, in tristibus, in patibulis. Sed quod differētiam facit inter filios Regni, & filios gehennæ, filios huius seculi, & filios lucis, est affectio: qui enim bona tēporalia magna bona esse ducunt, & iis ita afficiuntur, ut præ illis æterna bona contēnant; & contra, qui detrimenta temporalia magna mala esse ducunt, eaq; ita timēt, ut pro iis euadendis Deum offendere, & vitam æternam perdere non formidant; illi sunt filii tenebrarum, huius seculi, & gehennæ. & hoc significatur in illis verbis, beatum dixerunt populum cui hæc sunt, id est, qui tanti faciunt hæc temporalia, ut in illis beatitudinem sitam esse arbitrentur. Qui vero bona temporalia parua bona; & iacturam eorum parua mala esse ducūt, vt re vera sunt: contrā autem gratiam Dei, & coelestem patriam in maximis bonis repou- nunt: & offensionem Dei, ac vitæ æternæ detrimentum, mala grauissima putant; illi sunt filii lucis, filii Dei, filii Regni; qui non surda aure audierunt, Primum quærите Re- gnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Matth. 6. & hoc signifi- catur in illis verbis, Beatus populus, cuius Dominus Deus eius, id est, bona temporalia, bona sunt, sed beatū non faciunt: quod autem verè facit beatum, est possessio summi boni, quod in Dei visione consistit.

### PSALM. CXLIV.

#### *Titulus, & Argumentum.*

Laudatio David.

**T**itulus indicat argumentum: est enim hic Psalmus perpetua laudatio Dei, quæ partim sumitur ab ipsa Dei ma-

gnitudine, partim ab operibus eius, partim & qualitatibus Regni ipsius, partim à virtuti- bus Regis, quæ in ipso perfectissimè inueniuntur. Est autem Psalmus alphabeticus, ut fa- cilius memoria commendetur, & delectabi- lis canatur. S. Hilarius, & S. Augustinus ita exponunt titulum, Laudatio David, id est, laudatio, qua laudatur David. & per Davidem intelligunt Christum, qui filius est David secundum carnem. Sed communior expositio est, ut sit sensus laudatio, qua lau- datur Deus à Davide. Neq; obstat, quod in graco dicatur in datiuo, laudatio ipsi David. est enim sensus laudatio Dei inspirata, & di- cata à Spiritu sancto ipsi Davidi. Vide titu- lum Psalm. 3.

#### EXPLICAT. PSAL. CXLIV.

**Aleph.** Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in se- culum, & in seculum seculi. I.

**Beth.** Per singulos dies benedicam ti- bi, & laudabo nomen tuum in se- culum, & in seculum seculi. II.

In his duobus primis versiculis contine- tur proemiu, in quo Propheta docet, quid in hoc Psalmo canere proposuerit; sed hoc docet more poetico, per apostrophen ad Deum. Exaltabo, inquit, te, id est, in hoc Psalmo celebrabo te versibus meis, vt tu qui altissimus es, altissimus etiam habeas, & prædiceris ab hominibus. Vocat au- tem Deum Regem suum, vel vt ostēdat, se Regē esse sub Rege Deo, qui omnes regit, & à nullo regitur. vel quia Deum celebrare intendit ob ea præcipue attributa, vel ope- ra, quæ illi conueniunt, vt Rex est, & gu- bernator hominum, & cæterarum rerum creatarum. Et benedicā nomini tuo, repe- titio est eiusdem rei. idem enim est, Exalta- bo te, & benedicā nomini tuo. i. laudabo nomen tuū, celebrabo gloriam tuā. Quod autem additur, in seculum, & in seculum seculi; significat laudationem hanc fore perpetuam, ita vt hic incipiat, & perseveret per successiones hominum canentium hos Psalmos usque ad mudi consummationē; & dein-